alii fame, alii morbo ingruentibus miserabiliter decumberent, quoniam[a] et equos, quibus insidebant, more carnium comedebant, et de scutis (sellis[a']) et clypeis[b] suis famelicas instaurantes delicias, assandis[c] et coquendis carnibus igniculos composuerunt.

Iconiam post civitatem cum magnis laboribus ceperunt, et omnibus gladiis consumptis, res[d] Turcorum per sex menses occupaverunt, et facultatibus illorum potiti sunt. Inde vero illis[e] egressi, Antiochiam castra metati sunt. Accidit etiam, quod[f] pre nimia estus uredine, et intemperata meridionalis plage caliditate, imperator refrigerium querens, ad quoddam flumen cum omni exercitus multitudine devenit, ubi principum consiliis contrarius, refrigendi causa, (idem) unde se innatando tradidit, sed de continuis brachiorum anfractibus, ab impetu fluminis, ad desolationem totius Christiani[g] exercitus, occulto Dei iudicio absorptus est, corpus vero regium Antiochiam delatum, ibidem sepultum est. Mortui vero sunt eodem tempore de Christiano exercitu Gotfridus Herbipolensis episcopus, Martinus Misnensis episcopus, Poppo comes de Henbergk, Burghkardus burggravius de Meydeburgk, et quam plures alii.

~~Fuit~~ Habuit autem Fredericus — — diebus evolutis mortuus est.

Fuerunt autem in exercitu imperatoris isti principes, et barones: Dux Swevie, Bertol-

a) q̃m c.
a') selbir c.
b) clipes c.
c) assēdis c.
d) rex c.
e) illis c.
f) c̃tiaq3 c. pro etiam quod.
g) xpia / ne c.

mitznensis

Hr. hist. occ. et am. T. I. p. 391 — Eccard. II, 1351